

non liberabit, sed potius obligati capitulo saepedicto ad solutionem integram remanebunt. Adiicimus etiam, ut quandocunque thelonei in Mogelin locatio fuerit facienda, praefati thelonarii ad solutionem praenotatae pecuniae dicto capitulo Misnensi in praenotatis terminis utpote principali et praecipuo se specialiter obligabunt. Ne igitur in posterum alicui super ordinatione ac tractatu tam concorditer habito et peracto dubitationis scrupulus aliquatenus oriatur, praesens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum Misnae in capitulo confratribus nostris praesentibus anno domini M°.CC°.LVI°. Kalendas Aprilis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 182. 1256. 20. Mai.

Bischof und Capitel appelliren gegen eine Entscheidung des Abts und Priors zu Ossegk an den römischen Stuhl.

Nos Conradus dei gratia episcopus, Sifridus decanus Misnensis, Albertus dictus de Dobelin, Sifridus praepositus Budesinensis et magister Alexander canonici Misnenses a vobis, domine abbas de Ozzek, et a priore vestro coniudice ut dicitur ad sedem apostolicam appellamus super causis inferius assignatis. Primo cum vobis cuiusdam causae cognitio sit commissa, ut dicitis, ea postposita nobis sub comminatione mandastis, ut magistri Erphonis et praepositi Vlrici corpora exhumemus; secundo quia ante datum mandatum et post auctoritatem vestram nullatenus ostendistis; tertio quia nobis non constitit de excommunicationis sententia contra dictos mortuos ut dicitis promulgata nec de appellatione interposita ab eisdem; quarto quia hoc negotium agentes, domine abbas, vestri proximi sint cognati et propterea nobis estis suspecti. Ex his siquidem causis et ex aliis, quae suo loco et tempore proponentur, ad sedem apostolicam appellamus. Actum Misnae anno domini M°.CC°.LVI°.XIII^a. Kalendis Junii. Huius rei testes sunt praepositus de Luttemaritz, Sifridus canonicus Misnensis, Hugo et Conradus dictus de Steinbach vicarii Misnenses.

Nach dem Orig. im Provinzialarchiv zu Magdeburg; an Pergamentstreifen hängen Bruchstücke von fünf Siegeln.

No. 183. Um 1256.

Probst und Capitel bestätigen eine Stiftung des Domherrn Albert gen. von Döbeln zur Erhöhung der Feier der täglichen Messe.

Henricus dei gratia praepositus, Siffridus decanus, totumque Misnensis ecclesiae capitulum omnibus imperpetuum. Dignum et iustum est et omni consentaneum rationi, ut ea quae ex pio statuuntur affectu et maxime ad laudem et gloriam corporis Jhesu Christi contra varios futurorum eventus tam firmiter muniantur, ut et facti memoria semper vigeat et a posteris retractandi, permutandi vel postponendi cesset omnis occasio habitis super piis statutis autenticis instrumentis. Inde est quod notum esse volumus universis tam praesentis temporis quam futuri, qualiter dominus Albertus dictus de